



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput IV. Divinationis descriptio ac varii modi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



aliove affectu compulsi idololatriæ opus exeremus, exterior solum hæc esset idololatria, nec in foro interiori excommunicationi esset subiecta, quamvis eidem in exteriori foro subjiceretur, cum esse interior præsumatur.

## CAPUT IV.

*Divinationis descriptio ac varii modi.*

**D**ivinatio est dæmonis ope occultum aliquid inquirere, quod naturaliter sciri nequit. Porro dupliciter ope dæmonis aliquid potest inquiri, aut *expresse* certisque verbis illum invocando & consulendo: aut *tacite* & implicite, videlicet vanum aliquid vel inutile a dæmone traditum agendo, ut ejus ope occulta noscantur. Exempli gratia ut thesaurum quis inveniat, utitur versibus, quibus dæmonem rogat, ut sibi thesaurum ostendat: hæc est expressa invocatio. Puellæ ut sciant, quos habituræ sint sponso, illosque in somnio videant, in sancti Joannis Baptistæ pervigilio, dum cubile petunt, verba quædam recitant, quibus Jovem aut Lunam orant, ut sponso suos sibi ostendant: tacita hæc est & implicita invocatio. Idem de iis dicitur, qui ut perditas res inveniant, cribrum in gyrum agunt, vana interim verba quædam promittentes, quæ nihil significant. Nec excusatur satis, si quis profiteatur nolle se dæmonem invocare, sufficit enim id fieri, quod antea dæmon docuit.

Multiformiter respondet dæmon, aut apparentibus figuris quibusdam & speciebus, quod



V. *Divinationis descriptio ac varii modi.* 485

vocatur *præsigium*, aut in somnio, cum dormientes responsum a dæmone expectamus, aut defunctorum falsa resurrectione & apparitione, & hoc vocatur *necromantia*; aut per homines, in quibus ipse habitat, veluti Pithonissa, e cuius corpore dæmonem sanctus Paulus eiecit, aut per statuas & terrestria corpora, quæ est *geomantia*; aut figuris in aqua apparentibus, quæ est *hydromantia*, aut aereis figuris, quæ est *aeromantia*; aut figuris igneis, quæ est *pyromantia*; aut nominibus, quæ est *onomatoman- tia*, aut animalium visceribus, aviumque volatu, quod est veterum *haruspicium*, & auguriorum scientia. Omnia hæc diabolicæ invocationis genera mortalia peccata sunt gravia & enormia.

Divinatio, quæ ex Astrologia fit per naturales effectus, qui sunt pluvia, venti, & tempestatum mutationes, est permissa; at non item permissa est Astrologia *judiciaria*, quæ libera hominum eventa divinare præsumit, quam veluti vanam ac superstitiosam Ecclesia prohibuit. Nullam in homine, qui liber est, habere vim astra possunt; licet indirecte in liberas hominum actiones aliquatenus influant: cum ex astris temperamentorum varietas pendeat; nullam tamen necessitatem inferunt. Inter viros nobiles frequens est hæc curiositas, qui nativitatis suæ schemata conficiunt, & quasi ex divina revelatione præfagia inde sumunt, cum uni Dei providentiæ fidere deberent. Hæc inquisitio & credulitas peccata sunt mortalia. Tacitus, quem



supra retulimus, pulchre de Astrologis ait: *Genus hominum petentibus infidum, sperantibus fallax, quod in nostra civitate semper vetabitur, & retinebitur.*

Docet recens Casuista, non esse illum moralis peccati damnandum, qui ex Astrologi prædictione ecclesiasticam dignitatem sperans, Romam ideo pergeret, dummodo huic prædictioni non omnino fidat. Verum hæc opinio hominum ambitioni latam viam pandit, Dei vocationem ab ecclesiastico ordine amoveret: & Apostoli præceptum contemnit, qui ait: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron;* quare merito improbatur.

Alius docet, teneri Astrologum acceptam pecuniam reddere, si non media omnia adhibuit, ut ope dæmonis sciret, quod seus sciret nequit, sive sequatur effectus, sive non; si vim omnem artemque adhibuit, ut ex dæmonibus quid eventurum sit, noscat, non teneri acceptam pecuniam restituere, ejus siquidem labor & industria pretio sunt æstimabilia: neque hoc teneri obveniens alteri farcire, damnum, sed tunc solum, cum artem magicam non callent. Absurda æque ac impia hæc est opinio, quæ lucram lucrandi artem esse magiam docet divinisque legibus veritam. Divinæ humanæque leges hoc pacto destruuntur: nec rationis sonum errorem ullus umquam ante hunc Auctorem docuit.

Divinationis species quædam sunt sortis, quæ tripliciter dividuntur. Aliæ pure, sunt divinationis



*divinatoria*, ut futurum quidpiam vel occultum sciatur, & plerumque peccata sunt mortalia, quia in illis tacite diabolus invocatur: nisi expresse a Deo solo expectetur responsio, sicuti cum Saul super Jonatha forte usus est.

Aliæ sunt sortes *divisoria*, ut quid ad singulos spectet sciatur. Licitæ hæc sunt, si tria adsint. *Primo*, ut omnis absit injustitia, quæ certe adesset, si in plures fortiretur, quod ad unum spectat; aut si a sorte is excluderetur, qui æquale cum aliis jus habet. *Secundo*, ne quid detrimenti capiat respublica, veluti si forte munera publica indignis tribuerentur. *Tertio*, ne dignitates, aut Ecclesiastica Beneficia fortiantur, quæ fortiri non licet, cum ad hæc divina requiratur vocatio. In actis supra duos sortem miserunt Apostoli; sed Deum ante exorant ut ostenderet, quem in Judæ locum elegisset. Modo tamen hæc praxis vetita est.

Aliæ denique sunt *consultoria*, ut sciatur quid in rebus dubiis sit agendum: sunt vero licitæ, si omne diabolicum absit commercium, & istæ tres adsint conditiones, 1. ut in necessitate id fiat, alioquin esset Dei tentatio. Exempli gratia nescit Episcopus quem e Presbyteris eligat, ut ægrotis ministret, cum omnes æquæ digni sint, & pari zelo ferventes: forte tunc tui posset, ut Dei voluntatem intelligeret, 2. reverenter fors est mittenda, oportet enim ut reverentia debita Deus consulatur, 3. in profanis rebus, vel malis forte uti non licet.